



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia

Ab anno CCCCII. ad annum CCCCXXX.

Parisiis, 1644

Epistola Siricii Papae.

urn:nbn:de:hbz:466:1-14918

CONCILIVM^b TELEPTENSE
SVB ZOSIMO PAPA.

POST consulatum gloriosissimi Honorii XI. & Constantii II. sexto Kalendas Martias, congregato in ecclesia apostolorum Concilio plebis Teleptensis, beatus pater primæ sedis episcopus Donatianus ciuitatis Teleptensis, cum resedisset, confidentibus secum Ianuario, Felice, Secundo, Fortunio, item Porphyrio, Maximo, Maximino, Iocundo, Eunomio, Cyrino, Quintiano, Donato, Donatiano, Romano, Sopatro, Maximiano, Victore, Capione, Papiniano, Basilio, Tertiolo, Restituto, Donato, Secundiano, Iuliano, Ianuario, Porphyrio, Micilio, Iuliano, Cresconio, Geta, Tuto, & ceteris episcopis, nec non etiam Vincentio & Fortunatiano, legatis prouinciæ proconsularis ad Byzacenum Concilium directis, & reliquis: Vincentius & Fortunatianus dixerunt: Etiam cum essemus Tusdrum, sicut mecum recolit memorialis auditio vestra, & epistolas sanctæ memoriæ Siricii sedis apostolicæ episcopi dederamus recitandas, ex quibus cum legeret vnam sanctionem fratris nostri episcopi Latoni, vtrasque nunc nos referre suggestio indicat, has recitari donate. Episcopi dixerunt: Recitentur epistolæ venerabilis memoriæ Siricii, vt nouerimus, quid earum textus contineat. Cumque traderentur, Priuatus notarius dixit: Exemplum tractoriæ episcopi vrbis Romæ.

EPISTOLA SIRICII PAPÆ.

Dilectissimis fratribus & coepiscopis per Africam, Siricius.

CVM in vnum plurimi fratres conuenissemus ad sancti Capostoli Petri reliquias, per quem, &c. *Extat supra inter epistolas Siricii papæ in ordine IV.*

NOTÆ.

Quid in hoc Concilio actum fuerit. ^a *Concilium.*] In hoc Concilio nihil aliud actum reperitur, nisi quod ad definitionem causæ, de qua controuersia agitabatur, iussa

ANNO CHRISTI 418.

est recitari decretalis epistola Siricii Romani pontificis ad Africanos episcopos data. Vnde quanta Africanæ ecclesiæ erga Romanum pontificem obseruantia fuerit, nemo non intelligit. Quid præterea in hac Synodo actum sit, non apparet.

^b *Teleptense.*] Sic dictum a Telepte, quæ est vrbs Africae D. Augustino & Cypriano, eratque metropolis & prima sedes prouinciæ Byzacenæ, cui episcopus nomine Donatianus præerat, ille idem, qui etiam huic Concilio præfuisse, Mileuitanæ Synodo subscripsisse, & Concilio Carthaginensi præcedenti hoc anno celebrato interfuisse, apud acta allegatorum Conciliorum legitur: *Donatianus Teleptensis prima sedis subscripsit*, habet Concilium Mileuitanum II. Dubium itaque nullum est, quin hætenus mendose Telense pro Teleptensi nominatum fuerit.

Locus Concilii habiti.

Donatianus quis?

^c *Post consulatum gloriosissimi Honorii XI. & Constantii II.*] Anno nimirum Christi nati 418. Zosimi pontificis secundo, Honorii imperatoris 24. & Theodosii II. nam hic annus primus est post consulatum Honorii undecimum, & Constantii secundum. Baron. ann. 418. num. 31.

Tempus celebrati Concilii.

VITA,
EPISTOLÆ, ET DECRETA
BONIFACII PAPÆ I.

Ex libro pontificali.

^a **B**ONIFACIUS natione Romanus, ex patre Iocundo presbytero, ^b sedit annos tres, menses octo, dies septem. Hic sub contentione ordinatur cum Eulalio. Et fuit dissensio in clero menses 7. dies 15. Eulalius ordinatur in basilica Constantiniana, Bonifacius autem in basilica Iulii. Eodem tempore audiens hoc Placidia Augusta cum filio suo Valentiniano Augusto, dum sederent Rauennæ, retulit Honorio Augusto Mediolani sedenti. Eodem tempore ambo Augusti, missa auctoritate hoc præceperunt, vt ambo exirent ciuitate. Qui cum pulsi exissent, habitauit Bonifacius in cœmeterio sancti Felicitatis martyris via Salaria, Eulalius vero in ciuitate Antio ad sanctum Hermem. Veniente autem die proximo Paschæ præsumpsit Eulalius, eo quod ordinatus fuisset in basilica Constantiana, & introiuit in urbem, & baptizauit, & celebrauit Pascha in basilica Con-

Ggg ij